QUOD DEUS BENE VERTAT!

COLLEGII FEUDALIS PUBLICI DISPUTATIO QUINTA DE REGALIBUS,

Quam

Permiſſu Magnifici & Nobiliſsimi ICtorum in Perilluſtri Salanâ Ordinis

SUB PRÆSIDIO

Viri Ampliſſimi, Conſultiſſimi atq; Excellentiſſimi

Dn. ERASMI UNGEPAUR,

ICti longè Celebratiſſimi, Profeſſoris hujus Academiæ Publici, Conſiliarij Saxonici Graviſſimi, Curiæ Provincialis, & Scabinatus Aſſeſſoris Digniſſimi, Promotoris & Præceptoris ſui omni. quo par eſt obſervantiæ cultu ætatèm ſuſpiciendi

IN AUDITORIO ICTORUM

Horis matutinis ſolitis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.

Ad diem 13. Aprilis defendet

JOHAN-CHRISTOPH. LOBHARTZBERGER,

FREIBERGENSIS MISNICUS.

JENÆ,

Typis PHILIPPI LIPPOLDI,

ANNO M. DC. XXXVI.

FEudum in rebus immobilibus, & quæ ijsdem annumerantur, conſiſtere, præcedens diſputatio demonſtratum dedit. Inter hæc ſupremum locum meritiſſimo ſuo obtinent REGALIA. Ea aliquot theſibus, non pro materiei dignitate, quæ ſumma, ſed ingenij facultate, quæ exigua eſt, DIVINO ASSPIRANTE NUMINE placidæ examinationi ſubjecturus, conſiderabo ut *Acquirenda* & *Acquiſita*. *Acquirenda in Definitione, Diviſione, Objecto, Subjecto, & Modis acquirendi. Acquiſita in Fine, Effectu, & Modu amittendi.*

THESIS I.

D*Efinitio* Regalium eſt vel *Nominis* vel *Rei*. *Nominis* conſiſtit, tum in *Etymologia* tum in *Synonymia*.

II.

Etymologiam quod ſpectat, *Regalia* â *Rege* denominationem habent. Regis autem nomine, Imperator, potiſſimè in Feudorum libris, intelligitur *1.F.1.in pr. & §.notandum. 1.F.26. 2.F.27. & c 35. §.1.* quamvis & Imperatoris nomen in ijsdem non nunquam uſurpetur *1. F.14. 18. 2.F.27.* Dicuntur verò *Regalia* potiꝰ quam *Imperialia*, quia eo tempore, quo vigere cœperunt, uſus ſermonis aliter non tulit, quam ut appellatione Regis Imperator deſignaretur.

III.

Vocantur alias, ut ad *Synonimiam* veniam, Jura Regia, Jura Majeſtatis, Jura Imperij, ſacra Regni. Germanorum idiomate Keyſerliche Hoheiten vnd Reſervaten, item Herrligkeiten. Quandoquè etiam Jura ſuperioritatis, minus tamen

accuratè. Non enim continuò qui Regalia, jus quoq; ſuperioritatis habet, uti exemplum nobis ſunt Comites Palatini. *Homonymiam* hîc nullam agnoſco. Hotomannus quidem, in lexico feud. aſſerit, paſſim in Jure feudali, regalia accipi, pro feudis regalibus, puta Ducatu, Marchionatu, Comitatu, item pro majoribus & opulentis ſacerdotijs, ſed loca ab ipſo adducta id non probant.

IV.

Rei definitio, aut ſi mavis deſcriptio, eſto talis: *Regalia ſunt Jura Superiorem non recognoſcenti, vel cui legitimè quaſita ſunt, in ſignum ſupremæ eminentiæ, & communem Reipub. utilitatem competentia.*

V.

Diviſio Regalium contra *Bocerum* communiter recepta, hæc eſt; quâ dividuntur in *Majora*, quæ & potiora, merè regalia, item ſimpliciter Principis reſervata, & *Minora*, quæ & Fiſci Jura, nominantur. *Illa* ad potentiam, decus & authoritatem oſtendendam: *Hæc* ad fiſcum conſervandum & augendum pertinent.

VI.

Objectum Regalium Majorum pariter & Minorum, ſunt *Perſona* & *Res*. In eo namq; tota ſunt hæc Jura, ut *Perſonæ* vic. conferatur, vel aliqua dignitas puta Ducatus, Doctoratus, vel aliquod officium Magiſtratus cujusdam, aut Notariatus: item ut *Rei* ritè gerendæ norma & forma per LL. præſcribatur, ad reducenda ſperatæ Pacis tempora bellum geratur, fœdera pangantur, Comitia ad deliberandum quæ publicè æquè ac privatim cōducunt, indicantur, ad excolendos & informādos quibus Reip. partes olim credēdæ, Academiæ erigantur, Fiſco ad eum ditandum, pœnæ delinquētium, bona vacantia, reditus ex argentifodinis &c. inferantur. Quæ & alia ſimilia, jam ſubjiciendæ Species edocebunt.

VII.

Majoribus verò *Regalibus*, ut hinc iubente eorundem dignitate & prærogativâ occipiam, cum *Dd.* annumero:

eſt

I. JUS CONFERENDI DIGNITATES REGALES, id eſt creandi *Reges, Electores, Archiduces, Duces, Marchiones, Comites Barones*. Hi enim omnes regali dignitate, communi atteſtante *DD.* calculo præfulgent *t. F. 14. in pr. ibi, vel aliqua regali dignitate.* Quæ generalia verba movent me, ut quæ in principio de Ducatu, Marchionatu, Comitatu dicuntur, non reſtrictionis, ſed exempli loca poſita exiſtimem. Quo ipſo erroris cujuſdam arguuntur *Heigius P. 1. q. 2. n. 53. Duarenus de Feudis. c. 6.* Regalem dignitatem in Comitijs terminari aſſerentes, quibus contrariati; Barones qui ſtatus Imperij ſunt, adjungendo, & ratione hujus, de qua loquor dignitatis regalis, Comitibus æquiparando, nullus vereor, ob modo dictam verborum generalitatem *l. d.* 2. quia Barones non minus quam Comites ad Præſidis Cameræ Imperialis dignitatem admittuntur *Ordin. Cam. p. 1. t. 1.* 3. Comitibus quoad LL. Veſtiarias aſſimilantur. *Reform. Polit. d. A. 1530. ſub tit.* von Grafen vnd Herren / *Dominus Schenck Liber Baro à Tautenberg de Feudis c. 1. Keinking. de regim. ſec. & Eccleſ. l. 1. Cl. 4. c. 15. n. 21. & ſeqq.* Certè ſi ab ordine in regali dignitate cõſtitutorum ideò Barones excludendi, quod *d. c. 14. lib. 1. F.* non expreſſam eorum facit mentionẽ, idem cum Electoribus, Principibus, Landgravijs, Marchgravijs faciendum foret, quod abſurdum quis ſtatuat?

VIII.

Hæ dignitates regales, ita de fulgore throni Cæſarei, velut ex ſole radij prodeunt, ut primæ lucis integritas, minorati luminis non ſentiat detrimentum. *Exempla hujus Regalis Juris* in ipſo actu & exercitio ſeſe exerentis ſunt obvia. Ut enim jam non adducam *Reges, quos Imperium Romanum antiquitus Judæis, Syris, Parthis, Albanis, & c præfecit: intueamur modò, eo ad Germanos translato, Henricum IV. qui Ladislaum, Philippum qui Primislaum, Bohemiæ: Ottbonem III. qui Poleslaũ, Poloniæ: Fridericum I. qui Petrum, Daniæ creaverunt Reges. Intueamur Sigismundum qui Fridericum Ducem Saxoniæ Electorali dignitate ornavit: Intueamur Rudolphum (qui, cum ad ipſum Auſtria viduata veniret, Filium Albertum primum Auſtriæ (cujus ſolius honor & titulus hic adhuc proprius) Archiducem conſtituit:*

 Sic

Sic Fridericus II. civitatem Brunſwich. & caſtrum Luneburg. univit, & Ottone de Luneburg. Heinrici Leonis nepote inſtituto, Ducatum eſſe permiſit. Ludovicus Juliacenſes in Marchiones evexit. Fridericus Ænobarbus Bergenſem ditionem Comitatus dignitate honeſtavit. Baronum exempla ſunt innumera, cottidieq; augentur. Lamnaeus in Jure Publ. T. 1. L. 2. c. 9. n. 19.

IX.

II. JUS NOBILITANDI. Nobilitatis vocabulum eſt æquivocum. In lato enim ſenſu, Dignitatibus etiam Regalibus convenit *c. 46. X. de teſtib. & atteſt.* Ipſe quoq; Imperator dicitur nobilis, *inſcriptione LII. C. d. Transact.* Hinc Daniæ Regis Filium, quondam Juncker Otto von Dennemarck nominatum, fuiſſe refert *ex Andrea Knichen Conradus ab Einſiedel. d. Regal. c. 2. n. 133.* Strictè verò, ut hic acceptum; dignitatem à Regalibus, quæ in Baronibus finiuntur, ſeparatam denotat. Hujus collatio, ſolius Imperatoris eſt *1. l. 3. §. 2. C. ubi ſenat. vel Clariſſ. l. 3. C. de Conſul. & non ſparg. 2. arg. l. 5. C. d. diverſ. reſcript.* ubi ſacrilegij inſtar dicitur, negare Principis poteſtatem in concedendis dignitatibus. 3. quia Archiducibus Auſtriæ peculiari privilegio conceſſum eſt: In allen ihren Landen / Herrſchafften vnd Gebieten Grafen / Freyherrn / Ritter / Knechte / vnd verdiente tügliche Perſonen von newen Edel zu machen. Tenor illius privilegij, *referente Sixtino de Regal. invenitur apud Munster: in Coſmog. l. 3. c. 406.* Video equidem in hac jam adducta ratione, & conſequenter in controverſia ipſa principali diſſentientes *Vultejum l. 1. d. F. c. 8. n. 10. & Anton. Gothofr. Diſp. Feud. 1. Th. 6. l. 6. ICC. magni nominis,* qui omnes immediatos Imperij Dynaſtas quoad ſuas ditiones, nobilitatis privilegia diſtribuere poſſe aſſeverant. Verum dubito an quis in horũ ſententiam tutò ire poſſit, ideoq; ſalvo non ſolum Principum Jure, ſed & Vultei & Gothofredi judicio, Negativam amplector, ob prædictum ſpecialiter Auſtriacis indultum privilegium *juncta L. unic. C. de Theſauris.* 2. quia Regalia conceſſione feudi, Ducatus Comitatus &c. conceſſa non præſumuntur. *c. 4. X. de offic. deleg. arg. c. in generali de R. I. in 6.*

X. JUS

X.

III. JUS CREANDI COMITES PALATINOS Des Heiligen Römiſchen Reichs Hoffgrafen. Hi ſunt qui facultatem habent ab Imperatore, legitimandi ſpurios promovendi Doctores, &c. Dixi ab Imperatore, quia præter eum, nemini proprio Jure hoc competit, quæ Communis *Dd.* ſententia. Idq; ideò, quia eſt ſingularis dignitas; omnis autem dignitatis fons & origo eſt Imperator. Horum originem, appellationem nominis, Jura &c. videre eſt *apud Sagittarium Diſput. quam de ijs habuit Inaug. in hac Salanâ A. 1619. 28. Julij.* Illud hic lubet inquirere, an Doctores bullati ſive Codicillares (ità dicti, quod ex reſcripto ſive Codicillis Comitum Palatinorum gradum adepti ſunt) ijsdem cum promotis in Academijs gaudere debeant immunitatibus? *Contra Negantium magnum numerum, qui ab Harprechto ad §. fin. de Jure perſon. adducitur, Magnifico Rectori, Nobiliſſimo Juriſconſulto, & Meritiſſimo Facultatis hujus Ordinario Domino D. Arumaeo; Praeceptori & Promotori meo nunquam non ſuſpiciendo, & modis omnibus colendo* Affirmanti *ad A. B. D. t. T. 5.* accedo; modo prævia examinatio, de doctrinæ & morum elegantiâ, bullatos illos commendet. Eâdem enim authoritate, quâ Academiæ, Comites Palatini creant Doctores. E. non video, quomodo de bullatis *Dd.* poſſit fieri diſputatio, quæ non in commune dubium, privilegia *Dd.* in Academijs promotorum, trahat.

XI.

Sed *poſſuntne etiam Comites Palatini ex eo ſolo quod creandi Dd. poteſtatem habent, poetas facere?* Ita videri poſſet *arg. l. 21. de R. J.* ſed veriùs negatur 1. quia cóceſſio Imperatoria propter mentem diplomate Comitivæ expreſſam ſtrictè accipienda. 2. argumentum à majori affirmativè in jure non procedit, *arg. l. 6. §. 8. de Offic. Præſidis. junctâ l. 6. ff. de Interd. & releg.*

XII.

IV. JUS CREANDI DOCTORES, LICENTIATOS, MAGISTROS BACCALAUREOS. Nam non propriâ authoritate, ſed ſummi Principis, Academiæ his titulis benèmeritos

ritos inſigniunt. Baccalaureatum quidem, quod attinet, *Treutlerus, Wurmſerus, Beſoldus* pernegant, ejus collationem ad Regalia pertinere; ſed an ſolidis rationibus, dubito. Ita ſane eſt, ut qui Baccalaureos promovent, faciant hoc neceſſe eſt, vel quà docti, vel quà Comites Palatini, vel quà Decani. Sed non quà docti: alias omnes poſſent. E. quà Comites, aut quà Decani; & ita quâ Imperatoria authoritate pollent. *Sagittar. d. diſput. Th. 36. la.*

XIII.

Jucundam & uſualem hic adducunt controverſiam ICti authoritatis maximæ, an Doctoratus dignitas civilem afferat nobilitatem. Admodum favorabilis eſt Affirmativa, quam tuetur Harprecht *ad §. fin. de Jure Perſon.* Negativa tamen itidem ſuis innititur urgentibus rationibus quas videre eſt apud *Magnificum, Amplisſimum & Conſultisſimum Dn Sigiſmundum Finckelthaus ICtum & Antecesſorem Lipſienſem longè celeberrimum, Praeceptorem & Promotorem meum ætatem devenerandum Diſp. Feud. 4. Th. 11. l. d.* Cui parti ſubſcribēdum ſit, conſultus docebit.

XIV.

V. JUS CREANDI TABELLIONES SIVE NOTARIOS. Conſuetudo enim optima rerum & LL. interpres teſtatur, neminem niſi ab Imperatore impetraverit, Notarios qui in univerſo Imperio, officium ſuum exercere poſſint, creandi facultatem habere. Et quidem optimo jure. Magni namq; momenti res eſt, in creatione Notarij, hanc ei poteſtatem dare, ut illius inſtrumento, mortui animalis corio ſine alio adminiculo credatur.

XV.

VI. JUS PROMULGANDI LEGEM UNIVERSALEM *l. per l. fin. §. 1. C. de LL.* ibi: *Leges condere ſoli Imperatori conceſſum eſt.* II. quia penes Imperatorem eſt dominium in omnes imperij ſubditos, penes eundem itaquè etiam inſtrumenta dominandi, quæ ſunt Leges, collocari debent. Dixi Legem univerſalem, id eſt quæ omnes conſtringit, tam & Imperatore inferiores, Duces, Comites, immò ſenatus munici-

pis,

pij, *l.3.§.4 ff quod vi aut dam.l.8,in pr.quod cujusq; univerſ.* leges præſcribunt, ſed ſuæ tantum ditionis hominibus. Vti verò ipſa ſanctio, ſic & *Legis Interpretatio* ſoli Imperatori, proprio jure convenit *l.1.l 9 l.fin.§.1.C.de Legibus* Nec minus ejus *Abrogatio arg l 35.d. R. J.* neceſſitatis ſcilicet vel utilitatis causâ id ſuadente *propter l.2.ff.d.conſtit.princ.* Auream Bullam verò, quâ tanquam fundamento, Imperium ex communi conſenſu & approbatione niti debet, ſolus Imperator abrogare non poteſt. *Magnif.D.Arumæus ad A.B.D.1 Th.7.*

XVI.

VII. JUS INDICENDI BELLUM, FACIENDÆ PACIS, ET PANGENDI FOEDERA. Solum Imperatorem poſſe bellum indicere, probat *c.quid culpatur § ordo autem 23. q 1.l.3.v.eadem ff. ad L. Jul. Maleſt.l.unic.C.ut armorum uſus.* Et profectò ſi ad unum non referatur hoc jus. (verba ſunt *Arniſæi*) nunquam quieſcet Reſpub. â turbis & bellis civilibus, quia nunquam deerit vel ſeditioſa civitas, vel impatiens princeps, qui excogitatâ veriſimili causâ aliquâ, bello, vicinum ſuum laceſſere non audeat. Verùm quia bellum aliquando finiri convenit, id autem ab eodem exitum habere, à quo initium habuit, rationis eſt, ideò Regali de belli indicendi poteſtate, Jus reducendi Pacem, & fœdera adverſus bellum pangendi, cum *Dd.* conjungere volui. Pacem autem apud Romanos iniri non potuiſſe, niſi conſenſu Senatus ac Populi, *ex Tacito probat Clapmar de Arcan.Rerumpubl.l.1.c.20.* Et fœderum pangendorum poteſtatem olim ſoli populo competiiſſe, teſtis eſt *Livius Dec.1. l 9.* Quod vero ſoli Populo licuit, id poſt L. Regiam ſolus Imperator rectè ſibi vendicat *arg. l. 1. d. conſtit. princip.*

XVII.

VIII. JUS COMITIORUM. Hoc Regale ad ſummum Principem pertinere, inde patet, quod cujus eſt totius Reip. cura, ad eum quoq; ſpectet oportet, de illius rebus conſultare, & conſilia quibus ſtant regna, urbes & domus, inire; hoc autem in Comitijs fieri quis negat? Ideò Roman. LL. abſq; Principis conceſſione, convenire prohibitum fuit *l.1.ff.d.Coll.illic.*

Sed hæc Imperatoris poteſtas de quâ in hac & 2. præced. theſibus dictum, hodiè nonnihil circumſcripta eſt. Legem enim univerſalem non condit ſolus, ſed adhibito conſenſu, & conſilio ſtatuum Imperij *A. B in præfat circa finem. R. J. de Anno 1495. ubi Maximilianus Imp. in ſ. pr.* mit zeitigem Rath etwer der Churfürſten/ vnd gemeiner Verſamlung. Unde etiam LL. in Comitijs Imperialibus latæ, nominantur Receſſus non Imperatoris, ſed Imperij des Reiches Abſchiede. Bellum quoq; indicere, Pacem & fœdus inire, Imperator absq; voluntate Electorum, non poteſt. *Capit. Carol V.* § 11. *& ſeqq.* Eodem modo ad Comitia indicenda, eorundem cõſenſus hodiè requiritur. Hinc ſolemnis hæc clauſula Receſſibus Imperij adjici ſolet: Haben auff vorgehenden Rath/ wiſſen vnd bewilligung/ gemelter vnſerer vnd des Reichs Churfürſten/ nicht vmbgehen mögẽ/ eine gemeine Reichs Verſamlung außzuſchreiben / quod ſuo more ſolidiſſimè deducit *Magnif. Dn. Arum. Tract. de Comitijs c. 3. n. 13. & ſeqq.*

XVIII.

IX. JUS ACADEMIAS CONCESSIS PRIVILEGIIS ERIGENDI. Hoc apparet ex *Proemio ff* § 7. *ibi quæ à majoribus tale non meruerant privilegium, ad Antecess. Ordin. Cam P. 1. tit. 3.* §. deßgleichen ſollen die Beyſitzer *verſ. In Univerſiteten* welche zum wenigſten von vnſern Vorfahren Römiſchen Keyſern vnd Königen / die jetzige Keyſerliche Majeſtat oder vns confirmiret. Cum itaq Imperatori tantum, hoc Regale competat, quæſtionis eſt, an Academiæ à Pontificibus confirmatæ, V. G. Lipſienſis per Fridericum I. Saxoniæ Electorem condita Ao. 1408 & privilegijs munita à Pontifice Pio II. & confirmata etiam ab Alexandro V. Item Erphordienſis, à Dagoberto Rege Galliæ fundata A. 1392. confirmata à Bonifacio IX. Jure Academiarum, rectè cenſeantur? Affirmantium arridet ſententia, non ſolum propter tacitum Imperatorum aſſenſum, ſed & propter tanti temporis quod regalium præſcriptioni ſufficit, decurſum.

XIX.

X. JUS CONCEDENDI NUNDINAS ET MERCA-

TUS

TUS *l. 1. ff. de nund. l. unic. C. eod.* Differant hæc invicem ſecundum *Dd.* hoc modo, quod mercatus ſint unius civitatis aut vici, nundinæ verò unius provinciæ, aut Imperij. Utrorumq; ſingulare privilegium eſt, eo fine ne mercatores in exercendis commercijs impediantur, inductum, ut in ijsdem nemo ſub privati debiti prætextu conveniri, aut ejus bona areſto detineri poſſint. *d. l. unic.* Quod & Jure Saxonico obtinet *Conſtit. Elect. 30. P. 1. ibi.* Wir wollen aber ſonderlich / daß in allen fällen / innerhalb der offentlichen Märckte / der Händel vnd Werbung halben die Freyheit gehalten / kein Arreſt ſtat haben / auch Bürgerlichen Sachen vnd obligation wegen / niemand angehalten werden ſol. Quod tamen in contractibus qui in ipſis nundinis fiunt, *teſte Weſenbecio in w. ff. de nund n. 2. non obtinet arg. l. 19 § 1. ff d. Judicijs* Cæterum hoc Regale, *Boterus* tantùm de ſolennibus vel annuis nundinis intelligit, vulgares autem ſive hebdomadarias Wochen Marck / cum civitates & vici ijs carere non poſſint, à quovis magiſtratu inſtitui poſſe affirmat *de Regal c. 2. n. 240.*

XX.

XI. JUS CUDENDÆ MONETÆ. Hoc veluti verè majeſtaticum, ſoli ſummi Principes ſibi ſemper aſſeruerunt *l. 2. ibi in monetis* 1 *c. officinis tantummodo noſtris C. de falſ. mon. l. 1. ibi. veterum Principum C de Vet. numis. pot. R. J. A. 1570. §.* Alßdann auch die Müntz Gerechtigkeit kein Mercantz / ſondern vnſer Keyſerlich Regal. Hinc de Carolo Magno refertur, quod nullibi, quam in ſuo palatio monetam formare permiſerit. Hodiè non ſolum Electoribus hoc jus competit *ex A. B tit. 10.* ſed & alijs Principibus immò Civitatibus acquiſitum eſſe cōſtat, vel ſpeciali Imperatoris conceſſione, vel præſcriptione immemoriali. Illi verò quibus ab Imperatore Jus monetæ conceſſum eſt, ipſi eo uti debent, alijs namque vel vendere, vel locare, aut alio modo concedere, propter publicam Reipub. utilitatem expreſſe prohibentur *in R. J. de A. 1551. §.* ſo haben wir vns. *item d. R. d. A. 1570. §.* alßdan auch.

XXI.

XII. JUS ITA PRONUNCIANDI UT à SENTEN-

TIA APPELLARI NEQUEAT. Hoc proprium eſſe ſummi Principis, docet ICtus *l. 1. §. 1 ff. à quib. appell. non licet.* Imperator enim ipſe eſt qui provocatur, nec major in terris inveniri poteſt, ad quem eatur. Excipiunt *Obrechtus, Treutlerus & alij* niſi appelletur à Principe malè informato ad informandum melius, ſed quod in horum ſententiam non eam, impedit forma Appellationis, quæ *l. 1. § 3. ff de Appell. præſcribitur. Melandes, Gail. &c.* qui hoc obſtaculum vident, ſupplicationi pro Reviſione Actorum intra biennium Principi offerendæ, locum tribuunt *ex l. unic. C. de Sent. Præfect. pratov. Auth. qua ſupplicatio C. de precib. Imp. offer.* Verum an hæc opinio dd. LL. probari poſſit, dubito.

XXII.

Hæc Jura quæ huc usq; attigi, omnia ſunt *Regalia Majora*, ſed non hæc ſola: Plura enim hinc inde apud *Dd.* videre licet. Verum ſingula enumerare prolixum foret. Sequuntur jam *Regalia Minora*, quæ non tàm Perſonæ cui dantur, authoritatem ac præeminentiam, quam Fiſci emolumentum concernunt. Ea recenſentur *2. Feud. 56.* ita tamen ut etiam Majora quædam ibi ſimul nominentur, quæ ideò ſuperiori claſſi aſſociari poſſunt. Secutus tamen *Magnif. Dn. D. Arum. & alios* eo quo in d. c. referuntur ordine, adducam: pauca hic peccari poſſe exiſtimans, cum unum idemq; Regale diverſo reſpectu & majus & minus dici poſſit, quod exemplo Vectigalium illuſtrat *Sixtinus de Regal. lib. 1. c. 2. n. 53.* Occurrunt verò *in d. cap. 56. lib. 2. Feudorum.*

XXIII.

I. ARMANDIÆ. Quod Regale quale ſit, *teſte Sixtino*, multi ignorant. Videtur tutiſſimè ijs ſubſcribi poſſe, qui de Jure, habendi officinas publicas in quibus arma fabricantur, intelligunt: hoc enim ad Principem ſolum pertinere, probat *l. pen. C. de fabric. Nov. 85. c. 1. 2. 3.* II. VIÆ PUBLICÆ. Alias regiæ, conſulares, item militares; Germanis freye/ Keyſerliche/ Heer/ Reichsſtraſſen/ item offene oder Landſtraſſen. Quid requiratur ut viæ poſſint dici publicæ, docet *Vlpianus l. 2. § 1. ff. ne quid in loco publ.* Quâ ratione

ne verò ad Regalia pertinent? non quia protectione ad Imperatorem ſpectant; nam ſic totius mundi dominus audit *l 9. de L. Rhod.* ſed quatenus circa eas diſponit, ut V.G. ſubditi eas muniant *arg. l.3 ff. ne quid in loco publ.* & ita forte non abſurde majoribus adjungeretur, vel quatenus omnes reditus qui ex vijs publicis pendent, ad Fiſcum pertinent, quo intuitu hujus loci erunt.

XXIV.

Hoc Regale habenti incumbit, ut quæ ad ſecuritatem viarum ſpectant, maximè curet *l.1. §.12 de Offic. Præf. Vrbi l. 3. l 13. ff. de Offic. Præſ.* & deprædatis, ſi debitum pedagium ſolverint, viâq; regiâ inceſſerint, damnum acceptum refundat *R. J. de A 1559. §.* Damit dann die Obrigkeit *ibid.* Setzen/ ordnen vnd wollen/ wo fern von Churfürſten/ Fürſten/ Stånden/ oder eines Obrigkeit die ſey wer ſie wolle jemand Gelaidt gegebē/ vnd derſelbige darüber auff derſelbigen Churfürſten/ Fürſten/ Stånde oder Obrigkeit Gelaidt/ Straſſen/ thåtlich angriffen vnd beſchådiget/ daß der Stande ſo ſolch Gelaidt gegeben/ nach geſtalt des Gelaidt dem beſchådigten ſeines Schadens erſtattung zu thun ſchuldig ſeyn ſolle. Item, ut de crimine in via publica commiſſo cognoſcat. Quia enim curam, ne itinera ſint infeſta Principis eſſe dixi, eidem etiam merum imperium, quo ſolo, delinquentes intra recti limites continentur, ut relinquá neceſſe eſt *arg. l.2. ff. de Jurisd.* Quid *Bocero*, illi magiſtratui, qui circumquaq; territorium, & in eo, Jurisdictionem habet, cognitionem vindicanti, reponi poſſit, in diſcurſu fortè apparebit.

XXV.

III. Adducuntur in noſtro cap. FLUMINA NAVIGABILIA, ET EX QUIBUS ALIA FIUNT NAVIGABILIA. Scilicet eodem reſpectu, quo viæ publicæ. *Sixtinus, Bocerus, Cujacius.* Uſus verò fluminum eſt publicus *§.2. l. de R.D. l 4. in fin. ff. eod.* ita tamen, ut ſine cujusquam injuria, maximè ſine incommodo publico fiat. Hinc quæſituro *an ſine permiſſu Principis, molendini in flumine publico exſtructio ſit licita*, negativè reſpondebo *arg. l. 1. in pr. §. 12. 21. l. 2. & 4. ff. de flum. potiſſimè perl. unic. in pr. & §. 3. ff. ne quid in flum. publ. fiat.*

IV. PORTUS. Quid ſit vide *l. 59. de V. S.* Hi ex paritate rationis quam cum fluminibus habent *arg. §. 2. l. de R. D* Regalibus annumerantur. Videatur etiam *l. 17. §. 1. de V. S.*
V. RIPATICA i.e. vectigalia ſive gabellæ, quæ occaſione riparum percipiuntur, v.c. quod tum ſolvitur, cum quis navem ad ripam appellens, ibi aliquandiu moratur &c.

XXVI.

VI. VECTIGALIA Vulgò Telonia. Hæc conſiderata ut *inſtituenda*, vel ut augenda, ſunt *Regalia Majora*: Sic enim ſimpliciter jus & poteſtas Imperatoris ſine alicujus commodi reſpectu inſpicitur, at conſiderata ut *inſtituta* pertinent ad *Reg. Minora*, quià hîc fiſci utilitas in conſiderationem venit. Intelligũtur autem per illa, omnes reditus, qui pro mercium invectione & evectione fiſco Imperatorio præſtantur *arg. l 17. §. 1. d. V. S.* Dico fiſco Imperatorio; nam Civitatibus jus Vectigal imponendi, intuitu Juris noſtri non competit *arg. c. noſtri. 56. lib. 2. T. l. 10. ff. de public. t. t. C. de Vectigal. nov. inſtit. fruſtra diſſentiente Henrico Klock. in diſcept. de Jure Vectigal. concluſ. II.*
VII. MONETÆ de quibus *ſ. Th. 19.*

XXVII.

VIII. MULCTARUM PÆNARUMQUE COMPENDIA. Mulctæ & pænæ alias differentes *l. 244. d. V. S.* hîc conjunguntur quidem, diverſum tamen de ijs debet eſſe judicium. Nam mulctæ regulariter omnes fiſco cedunt *l. 5. C. de modo mult.* at pænarum magnam partem, privati capiunt, qui ſcilicet de delicto privato civiliter agunt. Earum igitur pænarum commoda, Fiſco quæruntur, in quibus privatis nihil Juris competit, ſive quæ de crimine extra ordinem, vel publico judicio, ut & privato, cum criminaliter agitur, infliguntur.
IX. BONA VACANTIA Erbloſe Güter / i. e. illius defuncti, qui inteſtatus, nullum ex qualibet ſangvinis linea, vel Juris titulo, hæredem relinquit. Hæc ad fiſcum deferuntur, ſed cum ijs annexo onere *l. 114. §. 2. de leg. 1. l. 31. ff. ſoluti matrim l. 96. §. 1. d. legat. 1.*

XXVIII.

X. BONA QUÆ UT INDIGNIS AUFERUNTUR.

Hæc

Hæc ſunt ejuſmodi, quæ quidem ipſo jure acquiruntur iis, quibus ſunt relicta, ſed acquiſita auferuntur, & eripiuntur, unde etiam Ereptitia dicuntur ab Ulpiano in fragm. *t. 19.* Quod multis modis fieri ſolet, puta ſi quis aliquem teſtari prohibuit vel coegit *l. 1. & t. t. ff & C. ſi quis al teſt probib.* ſi teſtatorem occidit *l. 9 ff. de Jure fiſci*, ſi teſtamentũ alicujus dixit in officioſum *l. 8. §. 14. ff. de Inoffic. teſtam.* & aliis quam plurimis, quos Sixtinus & Bocerus adducunt. Ut autem bona indignis ablata ad fiſcum pertineant, perpetuum non eſt, quod Imp. Fridericus innuit, dum ſubjicit NISI QUÆ SPECIALITER QUIBUSDAM CONCEDUNTUR V. G. ſi teſtamentarius tutor recuſet ſubire onus tutelæ, indignus quidem eſt legato, quod ei à pupilli parente relictum eſt, ipſum tamen legatum non fiſco, ſed ipſi pupillo conceditur *l. 5. §. 2. ff. de his quæ ut indignis.* Sic ſi mulier luctus religionem priori viro nuptiarum feſtinatione non præſtat, hæreditate, legatis, fidei commiſſis & mortis cauſa donationibus indigna fit, & hæc omnia ſcriptis aut ab inteſtato ſuccedentibus hæredibus vindicantur *l. 1, C. de ſecundis nuptiis.*

XXIX.

XI. BONA CONTRAHENTIUM INCESTAS NUPTIAS Hæc fiſco aſſignantur, ita tamen niſi ſuperſtites ſint liberi *l. 2.* aut etiam ulterioris gradus ex prioribus inculpatis nuptiis *Nov. 12. c. 1 & 2* cui nequaquam derogatum eſt *per Nov. 17. c. 12. nec per Nov. 134. c. fin.* XII. BONA DAMNATORUM ET PROSCRIPTORUM Non exiſtentibus Aſcendent. vel Deſcendent. usq; ad 3. gradum incluſivè. Communis opinio etiam Collaterales adjungit, ſed ei reclamat *textus in Nov. 134. jam d. c. fin.*

XXX.

XIII. ANGARIARUM PARANGARIARUM PLAUSTRORUM, NAVIUMQUE PRÆSTATIONES. Hoc Regale cum *Anth. Gothof D. Feud. 3. Th. 8.* dico, eſſe munus ſive onus patrimoniale vel reale, in præſtatione jumẽtorum, plauſtrorum & navium conſiſtens, quod propter repentinum aliquod negotium V. G. transvectionem armorum, aliamve pu-

blicam neceſſitatem indicitur, Daß man den Fürſten mit Wagen Roſſen/ Schiffen/ vnd dergleichen Frönen diener: Hofdienſte/ Schildtwache in Kriegsläuffen *Videatur l fin. v. quoties ſane C. de fabric. l. pen. §. fin ff de Veteran. & Magnif. Dn. Arumaeus Diſputat. Feud 4. Th. 20.* Munus reale dixi, non ignorans à nonnullis perſonale vocari, quibus refutandis *l. 2. C. de prepoſ. ſacr cubic. & l. 2. ff de Vacat. ſuffi ientes opinor.*

XXXI.

XIV. EXTRAORDINARIA COLLATIO. Per hanc cum *Dd* intelligo ſuperindictum, vel quod pro Imperij utilitate ſive neceſſitate ad tempus ſupra ordinarias collationes & tributa indicitur, de quo *l. unic. C. de Superindicto.* Quale eſt, quod exempli loco in noſtro cap. Fridericus adducit: Collatio ad feliciſſimam Regalis Numinis expeditionem Reichsſteuwer zu einem Römerzug/ item collecta quæ ad reſiſtendum Turcicæ irruptioni exigitur Türcken Steuwer. Noſtris temporibus, uti Vectigalia à ſolo Imperatore imponi non poſſunt *R. J Ratisb. A. 1576 §.* weiter ſind *& 2. § §. ſeqq.* ita neq; extraordinariæ collationes, ſed conſenſus Imperij ſtatuum, utrobiq; requiritur. *Ordin. Regim. Auguſtan de Anno 1500. tit.* der Türcken halben/ vers haben wir vns/ *& Receſſ. Auguſt. de A. 1518. §. fin ibi.* wir Churfürſten *&c.*

XXXII.

XV. POTESTAS CONSTITUENDORUM MAGISTRATUUM AD JUSTITIAM EXPEDIENDAM. Hæc olim penes Pop. Rom. extitit. *l. 2. §. 4. & ſeq. de O. I.* ſed poſtquã L. Regiâ in Imperatorem omne jus translatum eſt, eò res devenit, ut & hoc Regale ejus ſolius eſſe cœperit *l. unic. ff. ad L. Jul. de Ambitu.* XVI. ARGENTARIÆ i.e. Argentifodinæ, ſpecie tamen pro Genere poſitâ *per receptiora Dd. vota, & notoriam conſuetudinem.* Intelligo autem hic omnem reditum ſive vectigal, quod homines privati ex metalli fodinis, quas ſuis in prædijs quoad proprietatem habent (ijs namquè qui hanc Principi attribuunt, *propter l. 7. §. 13 & 14. ff. ſolut. matrim. l. 13. §. 5 de Uſufr. l. 13. § 1. Commun. præd.* quæ correctæ non inveniuntur, ſuâ cuiq; authoritate ſalvâ, aſſentiri vix poſſum,) Fiſco Imperatoris præſtare tenentur *arg. l. 17. §. 1. de U. S.*

PALA-

XXXIII.

XVII. PALATIA IN CIVITATIBUS CONSUETIS. i.e. jus habendi inhabitandiq; regias ædes, quod nemini præter Principi aut cui is conceſſit, licitum *l. unic. C. de palat.* Qualia Palatia fuerunt *Romæ, Conſtantinopoli, & adhuc Goslariæ, Noribergæ.* XVIII. PISCATIONUM REDITUS. Quia omnis fluminum portuumq; utilitas ad Principem pertinet, ideò ut piſcationum quoq; in illis inſtitutarum reditus, ad eundem ſpectet neceſſe eſt *l. 17. §. 1. de V. S.* Ipſum verò jus piſcandi, omnibus commune eſt *l. 2. l. 3. ff. de A. R. D. l. 2. §. 6. ff. ne quid in loco publ.*

XXXIV.

Ab hoc Regali redituum Piſcationum, magni nominis Juriſconſulti, ad Venationem concludunt, ſed quia eadem nec ad Principis dignitatem conſervandam, nec ad Fiſci augmentationem quærendam directè facit, alia rationum momenta ut jam prætercam: pace illorum, Negativam Juri Juſtinianeo convenientiorem puto. De conſuetudine verò hodiernâ, ſi quis Venationem ſubditis ſublatam, & Regale factam dicat, nihil inficiabor.

XXXV.

XIX. SALINARUM REDITUS. Fodinarum namq; & Salinarum, idem jus eſt *arg. l. 17. §. 1. d. V. S. l. 13. in pr. de publican.* XX. BONA COMMITTENTIUM CRIMEN LÆSÆ MAJESTATIS. Criminis hujus tractatio, â Regali de bonis proſcriptorum & damnatorum ſeparatur, quod ratione bonorum, multo plenius eſt & crimen læſæ Majeſtatis adeò atrox cenſetur, ut primum & maximum dicatur *in l. religio C. Theodoſ. de Indulg. Crim. Steph. de Regal. c. 25.* XXI. THESAURI DIMIDIUM IN LOCO CÆSARIS AUT RELIGIOSO REPERTI, NON DATA OPERA. Iniquum eſſe, primo intuitu videtur, quod inventor theſauri in loco Cæſaris &c. ad

propterea fiſcus tributis fraudetur, Princeps jure cujusdam compenſationis, partem theſauri ſibi vindicat. 3. quia theſaurus ut res pro de relicta habita, eſt nullius, aſt de ejuſmodi re ad ſalutem & utilitatem Reip. Princeps poteſt diſponere. Hic lubet quærere, cujusnam ſit theſaurus in re empta inventus? *Connanus* eum inter Emtorem & Venditorem vult dividi *per l.77.ff.de contrah. emt.* Sed rectiùs Emtoris ſolius ſtatuitur *per l.67.ff.d.R.V. Ampliſſimus Excellentiſſimus & Conſultiſſimus Dn. Præſes, Preceptor & Promotor meus nunquam non honorifice calendus Exercit. Juſtin.5.q.13.*

XXXVI.

Hæc de *Objecto* Regalium dixiſſe ſufficiat. Reliqua in propoſita membra, pauciſſimis attigam, ne terminum à LL. hujus noſtri Collegij præſcriptum, nimium excedam. Sequitur itaq;

XXXVII.

Subjectum Regalium. Hoc eſt *Perſona cui ea competunt*; quod ſit vel *jure proprio* vel *alieno*.

XXXVIII.

Proprio vel ſuo jure Regalia habet qui alterius conceſſione minimè indiget, puta *Imperator Romanus*, poſtquam Populus L. R, omne ſuum Imperium & poteſtatem in eum contulit *l.1.ff.de Conſt. Princ.* Hinc notanter inquit Fridericus Imp. *in Conſtit. de Pace Conſtant. §. volumus: ea quæ ſpecialiter ad noſtrã Excellentiam ſpectant.* R. A. zu Regenſp *A.1576.* §. dadurch denn *ibi*: unſere Keyſerliche beſondere Hoheit und Reſervantẽ. Aliiq; *Reges Principes & ſuperiorem non recognoſcentes.* In eo namq; quod ſuperiorem non habent, Imperatori ſimiles ſunt, proindeq; ſimilibus præeminentiæ juribus gaudent. Non verò *Pontifex Romanus*. Cum enim non habeat Poteſtatem, nec Politicam (eſt enim, ut ſibi videtur, Vicarius Chriſti) nec Eccleſiaſticam externam, quæ atteſtantibus ſacris literis *Eſaia 49. v. 23. item c. 60. v. 16. Exod. 8. & 32. &c.* ad ſeculares Principes pertinet, non habebit Majeſtatem, & conſequenter nec Jura Majeſtatis. Non itaq; jure, ſed uſurpatione propriâ, ſibi facit Regalia. *Videatur Cõſiliarius Saxo-Vinarienſis longè meritiſſimus, ICtus celeber-*

leberrimus, & rerum Germanicarum Indagator acerrimus, Magnificus Dn. Fridericus Hortlederus, Promotor meus maximè ſuſpiciendus, de cauſis belli Germ. lib, 1. c. 47. p. 513. & Magnif. Dn. D. Finckelthaus D. F 4 Th. 2.

XXXIX.

Alieno Jure Regalia habent, *Electores, cæteriq; Imperij Proceres, Duces, Comites, Barones.* Nec intereſt, an Principes ſint Politici an Eccleſiaſtici. *Magnif. Dn. Hortleder. l. d. p. 140. v.* vnd vnter andern. Hi enim nō ut Epiſcopi, ſed ut Principes Regalia tenēt, uti etiam nonnulli, peculiares ducatus eodem reſpectu acceperunt. Sic ArchiEpiſcopus Colonienſis inſcribitur Dux Angariæ & Weſtphaliæ, Würteburgenſis Dux Franconiæ &c. Etenim vulgatum olim dicterium, Herbipolis ſola, judicat enſe & ſtola, hodiè latius diffuſum eſt. Item *Civitates Imperiales* tanquam ſtatus Imperij. Hi enim in ſuis territorijs Imperatorem repræſentant, idemq; poſſunt, quod Imperator in imperio, ut habet Communis Practicorum & Theoreticorum regula, quæ tamen cum grano, quod dicunt, ſalis accipienda, ſimilitudine Juris, non verò paritate & plenitudine poteſtatis. 2. non abſolute & ſimpliciter, ſed ſecundum quid, ſc: quoad conceſſa in privilegijs. *Wurmſer. Exercit. Jur. Publ. 3. 917. & 420.* item *interdum qui ſtatus Imperii non ſunt.* Solcher geſtalt empfehet mancher von Adel auch Lehen vom Reich/vnd wird mit Brieffen belehnet/ oder mit etlichen Regalien begnadet/er iſt aber darumb kein Reichsfürſt/noch Stand/ denn darzu gehöret ein andere Diffinition, verba ſunt, der Räthe des Churf. von Sachſen / Johan Friedrichs wieder Julij Pfluges/replicen in Sachen den Thumb Naumburg betreffend *apud Dn. Hortlederum. l. d. lib. 5. c. 18. p. 1183.* Et ut paucis dicam *qui legitimè eadem acquiſiverunt.* Quâ ratione etiam homines privati, & in nulla dignitate ſuperiori conſtituti, Regalium capaces fieri poſſunt.

Conceſſio cujus ſolius virtute ſuperiorem recognoſcentes, Ea adipiſcuntur.

XLI.

Conceſſio eſt vel *Expreſſa* vel *Tacita*.

XLII.

Conceſſione Expreſſa conferuntur vel *per Privilegium*. Exemplum habemus *in A.B.c.8.* vel *per Inveſtituram 2. F. 10.* ſi vel ſola Regalia concedantur in feudum, vel unà cum feudis: Poſteriori tamen caſu, tunc demum ſi expreſſè ſimul concedantur. Errant namq; qui generali conceſſione feudi (utut etiam regale ſit, V.G. Ducatus, Comitatus) Regalia tacitè concedi affirmant, quia ubi ſpecialis conceſſio eſt neceſſaria, ut in translatione Jurium principalium, non ſufficit generalis *c. 4. X. de offic. deleg. c. in generali de R.J in 6to. arg. verſ. in generali 2. F. 26.* Exceptio tamen eſt, 1. quando Princeps caſtrum alicui concedit, cum omni Jure, quod ibi habet, atq; eo loco præter Regalia, aliud Jus non poſſidet. 2. Si generali conceſſioni caſtri cum pertinentijs, aut omnibus Juribus, vel cujuscu q; modi, adjecta ſit ſpecialis quorundam Regalium reſervatio. *Boçer. de Regal. c. 4. n. 3. Conrad ab Einſiedel. de Regal. c. fin. n. 40.*

XLIII.

Conceſſione Tacitâ acquiruntur Regalia, *per Præſcriptionem arg c. 26. §. præterea X. de U. S.* non verò omnem, ſed eam quæ eſt temporis immemorialis *c. d.* quia verſamur hic in re magni præjudicij. Ex tanti verò temporis decurſu, adeò præſumitur conſenſus Imperatorjs, ut aliâ probatione opus non ſit, cum tempus hoc, vim habeat conſtituti *arg. l. 3. §. 4. ff. de aq. quot.* & alias Vetuſtas pro lege habeatur *l. 2. in pr. ff. de aq. & aq. plur.*

XLIV.

Neutram conceſſionem admittendam dicit *Bodinus de Repub. lib. 1. c. 10.* verum ejus argumenta tanti ponderis nō ſunt, ut aſſenſum mereantur. Illud tamen procul dubio verum, non indiſtinctè omnia, majora pariter & minora regalia ita acquiri poſſe. De Minoribus diſcrepant; alij omnia, alij nulla, alij quædam, quorum ſc. exercitium non tam ſuperioritatem,

niunt ſed de Majoribus

tem, quam privilegium quoddam ſingulare importat, V. G. Jus creandi Doctores, legitimandi ſpurios, Jus extremæ provocationis & concedi & præſcribi poſſe ſtatuunt. Tertiam ſententiam *quam tuentur Magnif. Dn. Finckelthaus Diſſ. F. 4. Th.21.& Bocer. de Reg. c.4.n.2. ſequar.*

XLV.

Regalia ut acquirenda & acquiſita me conſideraturum, conſtitui. Priori capite huc usq; expedito, poſterius ſequitur. in eoq; ordine.

XLVI.

Finis Regalium. Hic vel eſt *Communis* vel *Proprius*. *Communis* omnium Regalium, eſt Salus Reipub. Utrisq; enim ad tuendam & augendam Imperij dignitatem & utilitatem ſummus Princeps uti debet. Quò pertinet *Conſt. Imp. de Jure mon. A.1570.* §. Alßdenn auch *ibi:* Sondern wie wir vns ſelbſt/ dem heiligen Reich zu Ehren / vnd Wolfart brauchen ſollen. Quamvis enim Majora regalia, magis ad Imperatorem, quam Imperium referri videantur, utpote Imperatoris Majeſtatem & poteſtatem declarantia, hoc tamen fit, non quatenus eſt Octavianus, ſed quatenus Octavianus eſt Imperator, & Majeſtate ac poteſtate ſuâ non ad propriam gloriam, & utilitatem, ſed ad dignitatem & utilitatem Imperij utitur. Eadem ratione etiam minora regalia Imperatori competunt, ut ea non in privatam, ſed publicam ſalutem vertat.

XLVII.

Proprius Majorum, ut poſſidentis Principis, totiusq; Imperij Majeſtatem & dignitatem, oſtendant & conſervent *R. J. de Anno 1576.* §. Dardurch dann *ibi:* zu vnſerer Keyſerlichen Hoheit vnd *reſervaten*. *Minorum*, ut Fiſci commoda & utilitatem augeant ac promoveant, unde etiam Regalia Fiſci à quibusdam dicuntur. Horum auxilio annui reditus Imperij Romani, ſub Friderico Barbaroſſa fuerunt 60. tonnæ auri ex Ger-

chartæ anguſtia non patitur) in eo conſiſtit, ut qui ea legitimè acquiſivit, liberum eorundem habeat exercitium *arg. l. 12 ff. de Judicijs*, modo non ab una ſpecie conceſſâ vel præſcripta ad aliam extenſionem faciat.

XLIX

Contra Regalibus nullâ ratione ſibi competentibus, qui utitur, pœnis graviſſimis ſubjacet, uti patet *ex l. 3. ff. ad L. Jul. Majeſt l. unic. §. 3. ff. de L. Jul. ambitus. l. fin. ad L. Jul. de vi publ.* Ita in eum qui Jus cudendæ monetæ ſibi arrogat, ſeveriſſimè animadvertitur. Fit enim reus Criminis læſæ Majeſtatis *arg. l. 3. ff ad L. Jul. Majeſt. Magnificus Ampliſſ. & Conſultiſſ. Dn. Petrus Theodoricus, Facultatis Juridicæ hujus loci Senior. digniſſ. Dn. Præceptor. & Promotor. meus colendiſſ. Colleg. Crim. D. 5 J. Th. 4. l. f.* Ideò qui falſam monetam formát, bonis confiſcatis flammarum exuſtionibus mancipatur *l. 2. C. de falſa moneta.* Nec diſtinguendum intèr monetam falſam, magni & exigui valoris, ſed etiam obulos falſos percutiens, ſtricto jure eadem pœnâ afficiendus quia hic quoad pœnam nullibi diſtinguitur. Si verò monetam probam citra Principis indulgentiam quis fecerit, pro qualitate delicti arbitrariè puniri debet. *l fin. C. d. t. & Conſtit. Crim. Caroli V. art. III. ibi.* Welcher ohne habende Freyheit Müntzet der ſol nach Rath an Leib oder Gut / nach geſtalt der Sachen geſtrafft werden / Hunc autem verſ. loqui de eo, qui probam monetam, absq; tamen privilegio formârit, ex conjunctione *verſ. præced.* ubi de ignis pœnâ, quæ falſam monetam cudenti imponitur, agitur, item. ex rubrica *d. art. 3. ibi.* Straff der Müntzfelſcher vnd derer ſo ohne habende Freyheit Müntzen manifeſtum ſit. Videatur *Magnif. Dn. Finckelthauſ. l. d. Th. 6. & 7.*

L.

Modi amittendi Regalia ſunt *Univerſales & Particulares. Univerſales* Conceſſio & Præſcriptio *arg. l. 35. de R. l. Particulares.* quemlibet modum, quo acquiſita fuerunt, in ſpecie reſpiciunt. Nam quod attinet conceſſionem Regalium per *Inveſtituram* factam, ijdem modi quibus alias feudum amittitur, hîc quoq; locum habent (quos ne falcem in alienam meſſem

ſem mittam, hic, ſciens, ſicco pede prætereo) quia in Regalibus in feudum conceſſis, hac in parte nihil ſpecialiter conſtitutum. Quæ verò per *Privilegium aut Præſcriptionem* quis accepit, ex varijs cauſis perdit. V. G. per finalis & impulſivæ cauſæ Privilegij ceſſationem *arg. c. cum ceſſante X. de Appellat.* per non uſum *arg. l. 1 ff. de Nund.* per abuſum *R. J. de Anno 1570. §.* Alßdann auch *& 2. ſeqq.* meretur enim privilegia amittere, qui conceſſâ ſibi abutitur poteſtate *arg. l. 37. ff. de Minorib.* per delictum V. G. ob collectionem & convocationem militis in Imperio *R. J. Auguſt. de Anno 1555. §.* wir ſetzen/ ordnen/ wollen vnd gebieten auch/ ob crimen læſæ Majeſtatis *l. 5. l. 6. l. fin C. ad L. Jul. Majeſt.* De quibus omnibus alijsq; quæ huc ſpectant, ſi quis accurate magis tractata deſiderat, *Dd.* qui de hac auguſtiſſima Regalium materia ſcripſerunt, adeat. Ego hîc pedem figo, & ubi ob ingenij & judicij tenuitatem erravi, monitus meliora ſequar.

COROLLARIA 4. EX JURE CANONICO.

I.

POteſtas rem alienam legandi, ex Jure Civili conceſſa, nec Jure Canonico abſolutè ademta eſt Vir *p. m. Ampliſſ. Excellentiſſ. & Conſultiſſ. ICtus & Anteceſſor. in hac LL. nutrice celeberrimus Dn. Valentinus Riemerus Præceptor meus deſideratiſſimus Dec. quæſt. Illuſt. 7. q. 1.*

2.

3.

Quia præſentatus à patrono, cenſuræ Epiſcopi, vel ejus qui Jus Epiſcopale habet, ſubjicitur, & tunc demum admittitur, ſi in ea idoneus ab Epiſcopo reputetur *tot. tit. X. de Inſtitut.* & paſſim in tit. de Jure patron. Idoneus non eſt, qui diverſam religionem ab Epiſcopi ſequitur, fruſtra diſſentientibus *Mindano, de proceſſ extrab. c. 29. n. 7. & 8. & Syringo de Pac. Relig. concl. 29. ſg. in not.*

4.

Patronus licet ſit idoneus, ſe ipſum præſentare non poteſt *c. 26. de Jure Patron.* omninò verò filium vel conſanguineum.

DEO SIT LAUS ET GLORIA
in ſempiterna ſecula.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE